



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 104. Morentiacus Lescuno Marescallo occurrens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Priusquam vero Lautrecus sese re- Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
 ciperet, circum circa Pistrina destrui  
 jussit, urbem famis violentia ad dedi-  
 tionem compulsurus. Hunc in finem a-  
 quarum cursum alio divertit, ratus, hac  
 via hostium agmina brevi dispergenda,  
 quibus peractis Cassani castra metaba-  
 tur, cui etiam Joannes Medicæus tria  
 peditum millia ac ducentos equites ad-  
 duxit. Tunc primum Lautrecus nunci-  
 um acceperat, quod Franciscus Sfortia  
 Tridento cum sex Germanorum pedi-  
 tum millibus abierit, ac Veronensi &  
 Mantuana ditione obliquo itinere supe-  
 rata Placentiam venerit, eidemque  
 Mantuae Marchio cum suis Cataphra-  
 ctis sese adjunixerit, nilque proprius fuerit,  
 quam ut Papiam, ac demum prima,  
 quæ sese offerret, opportuna occasione  
 Mediolanum contenderet. Huic transi-  
 tum intercludendi desiderium tam ve-  
 hementer agitabat Lautrecum, ut ca-  
 stra movere decerneret.

## §. CIV.

*Morentiacus Lescuno Marescallo  
 occurrens.*

Sub idem tempus nunciatum est Lau-  
 treco, quod Lescunus Marescallus  
 ejus Frater e Francia redux, necnon  
 pecuniariis subsidiis auctus quosdam pe-

M 3                    dites

**Sacell. XVI**A.C. 1522

dites Genuæ expositos secum adduceret, quapropter quantocius Morentiacum cum tribus Helvetiorum millibus, & mille Italos, necnon ducentis Cataphractis præmisit, dato negotio, ut Lescunum comitaretur, simulque Ticini transitum hisce copiis magis expeditum redderet. Ast haud exigui laboris opus erat, hoc mandatum exequi; Franciscus enim Sfortia jamjam Papiam adveniens, Morentiaci accessum exploratum habebat: Saluti tamen fuit, quod *Bucardus de Refugio*, qui Cataphractis imperabat, opportune Morentiaco sese conjungeret; præcipiti enim cursu, quo cum suis Bucardus advolabat, tam densas pulveris nubes fuscitaverat, ut Sfortia & Marchio Mantuanus totam Galliæ exercitus molem sibi impendere arbitrati, Papiam sese reciperent.

## §. CV.

*Novarra a Morentiaco obseffa,  
captaque.*

**M**orentiacus impendens sibi periculum hoc pacto eluctatus, interea, donec Lescunus adventaret, Novarram versus movit, turbemque, arx enim adhuc Gallis subjecta erat, expugnare constituit; cum vero cives illam hac ex parte tot vallis fossisque firmassent, ut eam expugnandi